

dicos novos, uti eos mihi praeses ordinariorum (qui in dedicatione nominati sunt) frater illius capitanei itidem pro aliquot nativitatibus dono dedit. Nolim autem metuas, ut minus dives ego fiam. Nam hujusmodi aucupia rara sunt. Quamvis, si Deus cuilibet animali dedit instrumenta vitae conservandae, quae invidia est, si eodem consilio astronomo adjungit astrologiam? Illud itaque poculum Schillingo nostro propinavi, uti loco tuo responderet, precorque ut sanus et vegetus et ipse respondeas.

Sed ad libellum meum redeo. Estne sufficiens hoc ex infelicitate deductum argumentum, materiam falsam esse? An poenas luo juvenilis temeritatis et affectatae pompa? Tychonis certe rationes me nihil movent ut dubitem. Nam etsi vitiosis abscessum proportionibus e Copernico desumtis (ut ex ipso intelligo) superaedificavi: vitium tamen inest particularibus motibus, qui exiguum inferunt varietatem. Veniant in lucem ejus narrationes coelestes; videbitur. Placet optime, deprehendere ipsum observando, quod ego ratiocinando collegeram, praeter circuitum circa eundem Solem nihil fere pluribus planetis commune esse debere. Itaque rursum gestio: Veni Tycho et noli tardare. Deponam autem apud te meam speculationem, ut judex sis, an conveniat cum Tychone, si is prodeat. Jupiter debet habere mediocritatem in duabus motus particularis qualitatibus, Saturnus excessum in una, defectum in altera, Mars opposito modo excessum vel defectum; tres superiores debent alio in genere qualitatis versari, quam duo inferiores. Venus debet in suis motus qualitatibus esse opposita uni Mercurio, ut Jupiter Saturno et Marti simul. Jam quae de ampliatione orbis annui dicit, tantum abest, ut me absterreat a Copernico (vel etiam a 5 corporibus), ut potius suo ipsum Tychonem gladio ferire mediter. Quid? ergone tot monstrosis motibus tota moles 5 planetarum una cum Sole, centro ipsorum, volvit? Quanto facilius credi potest Copernico, solius id Terrae motu fieri: cum iidem utrinque sint effectus. Sed quid ego tibi? Quid Tychoni? Dubium non est, quin ipse hoc intelligat. Ergone solum has rationes habet, quas Copernico opponat? An major his rationibus vis inerit, ubi in fundamentis suis et sufficienter considerabuntur? Id utique videbimus. Certe quod dicit, se in meis literis rationes dedisse, nullam reperio contra motum Terrae, quam absolutam negationem et deinde physicam rationem, quam tu sufficienter refutasti. Illud forte vim aliquam obtinere possit, quod auctam esse Martis eccentricitatem deprehendit. Cui rationi duo haec objicio. Primum veteres eccentricitatem Martis eo modo investigarunt, quem ipse insufficientem dicit. Dubites igitur, an vitium in veteri eccentricitate insit? Deinde Copernicus ἀπογεια, non ἀφηλια computavit, ille fortasse computabit ἀφηλια. Videtur enim vigore hypothesum suarum hoc facere debere. Valde enim absurdum esset, si punctum aliquod in vicinia Solis pro centro 5 planetarum assumeret. Adde et illud, quod certum omnino sit, centrum 5 orbium ipsi non aequaliter circa Terram ire, cum aliquando ampliorem periodum facere debeat, aliquando angustiorem. Id enim necesse est illum statuere ad illam differentiam 1° 45' in Marte producendam. Itaque nondum me movet haec ratio. In librationibus globi Terrae et ratione aequinoctiorum suspicionem quidem facit alicujus incommodi, sed nihil aperte dicit. Ego vero non terreri sed doceri volo. Immensitatem solam habet, qua me non mediocriter movet. Sed nos mundo quidem parvi sumus, mundus Deo non est magnus. Et sunt rationes immensitatis illius. Etiam in hoc minus aequus videtur, quod postulat: eandem dari proportionem quiescentis et mo-

Kepleri Opera I.

4